

ECCE FASCICVLVS CENTESIMVS I

4/93

LIBVS OCTOBRIBVS

MCMXCIII

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
A D T V C

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	ÖS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	ÖS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Extraordinarium libellum manibus tenetis! Est enim fasci-
culus centesimus Rumoris Varii! Quod factum certe occasio
est respiciendi ad fontes et origines nostri periodici:
Primum exemplar Rumoris Varii, quod editum est pridie
Kalendas Martias anni MCMLXXXVIIIⁱ (28. Februar 1978), ex
una et media pagina constitit! Secundum exemplar mense
Aprili eiusdem anni divulgatum iam quattuor paginas conti-
nuit, et tertium exemplar primum forma libelli duodecim
paginarum apparuit.

Annis 1978° et 1979° Rumor Varius mensualiter editus est,
ex anno 1980° numero paginarum aucto sexies in singulos
annos divulgatur. Praeterea annis ultimis praeteritis saepe
libellus quintus et sextus in unum fasciculum coniuncti
sunt. Ex anno 1984° secundo quoque anno color involucris
libellorum mutatur.

Sic Rumor Varius ex minimis principiis ortus crescens ad
hunc periodicum factus est, qualis nunc apparet. Quae omnia
fieri non potuissent, nisi vos, cari legentes, identidem
symbolis ad publicandum nobis missis nos adiuvissetis!
Itaque maximas vobis gratias agimus et speramus temporibus
futuris quoque vos fidem nobis servaturos et eodem modo nos
adiuturos esse, ut annis proximis quoque multos libellos
Rumoris Varii divulgare possimus.


Ad haec sollemnia imprimis animum attendite ad epistulam ab
Udalrico Aeschlimann, quasi patre Rumoris Varii, legentibus
occasione libelli Rumoris Varii centesimi adhuc divulgati
scriptam, quam in hoc libello invenietis!

Praeterea symbolas omnium, qui hoc tempore collegii redac-
torum participes sunt, in hoc libello centesimo legere
poteritis.

Speramus hunc quoque libellum vobis legentibus gaudium ma-
ximum allaturum!

Iterum maximas gratias pro fide vestra!

Valete!


Daniel Weissmann

EPISTULA LEGENTIBUS OCCASIONE LIBELLI RUMORIS
VARIII CENTESIMI ADHUC DIVULGATI SCRIPTA

Cari legentes,

Rumoris fasciculus, quem manu tenetis, adhuc impressorum divulgatorumque est centesimus. Utinam hoc factum conventu hilari inter socios moderationem nostri periodici curantes et vos, cari legentes, celebrare possemus! Quod autem fieri non potest, quia singuli in maxime variis locis orbis terrarum habitantes certa die et in unum locum congregari plane nequimus. Quo autem modo alio hunc fasciculum centesimum re vera pro facto digno celebrare possimus? Nos, qui Rumorem Varium edendum curamus, eum dignum esse censemus, ut celebretur editione fasciculi proximi (qui erit centesimus primus) praecipua, aliter ac solita, apta ad aetatem iuvenilem, mirabilem nostri nuntii periodici Latini celebrandam! Nonne etiam vos consentitis, cari amici? Non dubitamus, quin ita faciatis; nam quis Rumor Varius adhuc fuisset, quis nunc esset, quis futurus esset sine auxilio vestro? Quis sine vobis, qui textibus Latinis innumerabilibus domui editoriae, ut divulgentur, missis semper curetis, quis sine vobis curaverit, ut noster libellus adhuc semper vivat, floreat, crescat?

Quid autem ipsi nostro Rumori Vario maiori muneri festivo esse possit quam editio praecipua, egregia fasciculi centesimi primi ab omnibus amicis confecta, editio enim unius fasciculi, qui non modo symbolas solitas notasque continebit (quamvis sint etiam hae semper dignae, ut legantur!), sed etiam ad libellum centesimum Rumoris Varii celebrandum scriptas?

Fasciculo 5+6/93 titulo 'Ordo Rumoris Varii fasciculum centesimum celebrantium' symbolas legentium ad illam diem sollempnem celebrandam Latine scriptas et nobis missas publicabimus.

Nonne haec idea solutio problematis, quod, ut celebremus, convenire non possumus, dignissima? Respondete litteris, cari legentes, sive forma celebrandi, sive alia! Gratias vobis iam nunc agimus.

Curate, ut semper valeatis!

Udalricus Aeschlimann

DE FERIIS, QUAS OLIM DEGI SEPTEM ANNOS NATUS,
E MORBO PNEUMONIAE RESTITUTUS, IN VICO
NOMINE 'ANDEER'

Puer septem fere annorum pneumonia affectus quinque hebdomades in lecto manere coactus eram, cumque plus minus convaluissem, tamen viribus tam debilitatus eram, ut in primam classem ludi litterarii me intrare posse medicus negaret. Itaque pater meus prospexit, quo ire possem ad novas vires recuperandas. Memor erat viri, quem in servitio militari cognoverat, illumque sciebat esse agricolam divitem habitantem in vico nomine 'Andeer', qui vicus in valle nomine 'Schams' situs esset. Qui vir cum illis ipsis diebus Curiae, in urbe nostra, moraretur, pater meus facile eum convenire et interrogare poterat, nonne filium summ, sex annos natum, ad se domum recipere posset, ut sibi aliquo modo utilis esse possit. Vir ille, cui nomen erat Lutta, paratum se esse respondit ad recipiendum patris mei puerum et habere secum in familia sua per aliquot hebdomades.

Iam Lunae die hebdomadis insequentis pater me ad stationem Curiensem comitatus est et inde ferrivia Raetica vecti ad vicum nomine 'Thusis' pervenimus ibique in thermopolio quodam virum Luttam convenimus. Dominus Lutta cordialiter me recepit et sermonibus quibusdam a patre et a domino Lutta habitis me in raedam suam sustulit, et postquam oscula patri dedi et a patre accepi, dominus egoque patrem valere iubentes ab equo avecti sumus et per Viam Malam leniter ascendente iter faciebamus, dum dominus Lutta frenas manibus tenet et ego ab eius latere sedens valde miror fauces saxosas, praeruptas et altas circum vallemque angustam et rivum alte infra nos strepente, Rhenum interiore nominatum. Cum autem dominus Lutta dixisset Viam Malam nostro sermone Germanico significare 'Böser Weg', respondi me facile posse id nomen intellegere datum viae inter vallem tam angustam terribilemque ducenti, dominus Lutta ridens dixit: "At nostris temporibus haec via non est mala, sed potius perbona, nonne tibi quoque, mi puer, ita videtur?" Et ego: "Est, ut dicis, domine, mihi quoque ita videtur."

Media hora post fauces statim apertae sunt et pervenimus in vallem valde amplam, ubi prata circum viridia in sole lucentes, cui nomen est 'Schams', et equus tandem citato gradu ire poterat. Neque ita multo post pervenimus ad vicum nomine 'Andeer', locum nobis destinatum, iamque ad domum Luttae. In area post domum domini Luttae e raeda descendimus domumque et coquilinam intravimus, ubi totam familiam cum servis ancillisque ad longam mensam sedentem vidi cenando deditam. Celeriter accepi non omnes, qui adessent, proprie ad familiam domini Luttae pertinere, sed complures iuvenes esse servos compluresque virgines esse ancillas, nonnullosque etiam non nisi aestatis tempore adesse, cum et in domo Luttae et in eius pratis auxilio eorum earumque opus esset.

Omnes me receperunt cordialiter salutando et dominus Lutta me invitavit, ut ad mensam adsiderem cenaturus. Ad longam mensam sedebant viginti circiter homines utriusque sexus omnesque cum laeto animo et plus minus alta voce confabularentur, ego quoque paulatim illa societate laetabar, ita ut matri meae procul relictas fere obliviscerer. Subito autem vocem domini Luttae audivi, qui unam ancillarum, virginem venustam, hortaretur, ut mihi monstraret cubiculum meum, id est cubiculum, quod hospitibus destinari solebat. Virgo illa continuo surrexit meque rogavit, ut se sequerer. Cubiculum meum satis amplum erat, lectus magnus et tam altus, ut mihi cubitum eunti ascendendum esset. Ego autem matris meae desiderio dolens somnum capere non poteram. Quamobrem ad fenestram consedi, ut foras spectarem ad loca vicina. Atqui deceptus sum, cum nihil aliud viderem nisi murum turris ecclesiae, qui proxima esset fenestrae cubiculi mei. Tum denuo satis tristis factus lectum ascendi somnum capere cupiens. Somnus autem me tristem matrisque meae semper memorem non accepit, antequam campana turris duodecies sonans mediam noctem nuntiaret. Atqui paulo post lassitudine victus obdormivi.

Postridie mane cum vix essem experrectus, porta cubiculi mei aperta est et apparuit virgo illa venusta, quam pridie ad longam mensam conspexi cenantem. Venit ad lectum meum nullamque vocem edens opertorium lecti mei abstraxit ita, ut seminudum me videret. Tum subridens celeriter cubiculo exiit. Quae res minime mihi placuit, sed surrexi statim et

vestimenta calceosque mihi indui. Tum in coquilinam descendi ad ientandum. Omnes, quot heri sub vesperum ad longam mensam sedebant, at valde mirabar, quod omnium animorum adfectio plane erat diversa, namque omnes mutui sedebant neque quicquam audire poteram nisi strepitum potum coffeae sorbentium. Ego quoque adsedi, quamvis essem satis timidus inter convivas mihi adhuc plane ignotos.

De improvviso dominus Lutta, quem antea non conspexeram, me allocutus est interrogans, quomodo post ientaculum mihi tempus agere liberet. Respondi me libenter acturum, quod domino placeret.

Tum dominus Lutta: "Poteris exire in pratum prope domum nostram situm et boves custodire, qui illic pascuntur. Munus facile est: Non erit tibi quicquam aliud agendum nisi manendum prope boves curandumque, ne qui bos pratum relinquat. Praeterea canis noster tecum erit teque adiuvabit, quippe qui boves custodiendi usum habeat. Extemplo latrabit, cum bos aliqui nimis longinque abibit. Sub meridiem huc reverteris in coquilinam ad prandium."

"Bene, domine Lutta, intellexi", respondi, atque obieci: "Nonne erit periculum, ne boves abeant meridie, dum absum?" Dominus Lutta respondit: "Minime, nam canis, ut tibi dixi, latrabit statim, cum aliqui bos prato abiturus erit." Et ego: "Mirabile mihi videtur esse bovem in prato manere, cum canis latrabit. Estne ita, ut boves retineantur timore canis?" - "Est ita", dominus Lutta respondit. Ego autem: "Cum res ita sint, domine, miror, cur me custode etiam sit opus." Et dominus: "Recte interrogas, sed mihi praestare videtur, duos custodes in prato esse quam unum."

Tum in pratum exii et per totum tempus antemeridianum in prato mansi, solus homo inter boves, et magis magisque tristis factus sum, et ad saepem me adplicans modulos melancholicos leniter cantans et ad montes circum nubibus opertos spectans matris meae memor eram. Boves autem toto tempore antemeridiano boni erant et mihi et cani oboedientes.

Quoque quadrante horae campana a turri ecclesiae sonans tempus nuntiabat, et quo propius meridies adveniebat, eo minus taedii mihi afferebat. Atqui mater mea semper procul erat neque eius vocem quidem audire poteram, namque parentes mei pauperes erant, sicut instrumentum illud, quod

telephorum appellamus, in domo nostra Curiensi non esset. Multo ludicriores mihi visi sunt dies illi calidi aestivi, cum in magnis pratis ad orientem vici 'Andeer' situs servis ancillisque in faeno secundo auxilio esse possem: Nam quamvis omnes magnopere sudarent, tamen multa confabulatio et oblectatio undique audiebatur, et vesperi post cenam lassus eram, ut celeriter cubitum ire cuperem et deinde in lecto sine mora somnum caperem.

Ita non multo post faenicisium confectum dominus Lutta dixit me posse, si mihi liberet, in eius alpes ascendere ibique feriarum, quod superesset, degere, pastorem alpium in custodiendo boves et in aliis officiis adiuvans. Respondi me magnopere id velle et cupere, sed iter in alpes ducens ignorare. Dominus Lutta respondit: "Opus non est te iter scire, nam pastor alpium hoc ipso die hic est teque in alpes comitabitur mane."

Iter in alpes, quae domini Luttae erant, unius horae et mediae erat.

In illa parte alpium, quae domini Luttae erat, praecipuum officium meum erat cottidie plures horas boves custodire in pratis circum casam iacentibus, in qua coquilina pastoris erat et mansio nostra.

Cum triduum in alpius essem, paenituit me domino Luttae dixisse me magnopere cupere et velle in alpius esse; etenim illic supra solum me sentiebam et solitarium, neminem praeter pastorem alpium habens, quocum sermonem habere possem, et pastor erat stomachosus et parcus verborum. Praeterea displicebat mihi in faeno iacenti neque satis procul a pastore foetente noctuque stertente. Interdiu saltem foris in prato et in aura pura boves custodire et procul infra me vallem videre poteram domumque, ubi servi et ancillae hoc ipso tempore sine dubio officiis dediti laeti sermocinarentur. Cum autem in alpe nostra boves masculini tantum essent, cottidie semel ad vicum 'Andeer' descendere a pastore eram iussus, pera metallica ornatus, ut in domo familiae Luttae lac peterem ad usum cottidianum pastoris meumque, ne lacte in ientaculo careremus. Quae cottidiana descensio in vallem et in vicum 'Andeer' exoptatissima mihi erat, quamvis ascensio in alpes deinceps mihi pera lactis plena onerato satis gravis esset. Cottidie enim familiam domini Luttae eiusque servos ancil-

lasque omnes videre poteram, cordialiter ab omnibus salutatus et quoque fere die interrogatus, imprimis ab ancillis ridentibus, quid supra in alpius fieret.

Quattuor vel quinque hebdomades in valle 'Schams' nominata degi, et cum in statione ferroviaria Curiensi e tramine descendissem et amplexu matris amatae receptus essem, mater mihi basia multa dedit lacrimas laetitia vix comprimens egoque matri basia dedi totidem. Cum autem laetissima, oculis suis vix credens vidit, quam robustus factus essem hebdomadibus quinque peractis vultumque meum sanum et laetum cernens, ambo felices domum petivimus.

Emanuel Bernard



Aenigma

1	2	3	4
2			
3			
4			

1. urbs Italiae
2. Seneca philosophus de illa tres libros composuit (Acc.)
3. poetae nonnumquam mare sic appellant (Abl.)
4. dicere : assentiri

Daniel Weissmann



MORTES

Michail Tal, 'Magus Rigensis'



Ante unum fere annum, die 28° mensis Iunii anno 1992° Moscuae (Moskau) Michail Tal, scacilursor celeberrimus, mortuus est solum 55 annos natus. Michail Tal die 9° mensis Novembris anno 1936° Rigae, in capite Lettoniae, natus est. Mox ingenium eius extraordinarium apparuit, et brevi tempore exercitatore Alexandro Koblenz duce in numerum optimorum scacilursorum mundi ascendit. Anno 1953° e campionatu Lettoniae victor discessit, annis 1957° et 1958° victoriam campionatus Republicae Sovieticae assecutus est.

Michail Tal 64 casarum scacarii artifex egregius fuit, qui tacticem maxime amabat, semper connexionibus subtilibus vincere volebat nulla pericula timens. Celerius et acrius quam adversarii ratiocinabatur, saepe autem scacum aliquem sacrificans intuitioni suae fidebat. Cum adversarius conditione complicata penuriaque temporis urgente inter multos et varios tractus possibiles optimum et utilissimum non iam invenire posset, denique circumspectionem claram amisit et victus est. Non mirum, quod Michaili Tal cognomen 'Magus Rigensis' datum est. Frequentes sunt fabulae Michailem Tal adversarios artibus magicis fascinare vel hypnotizare, cum adversus eos sedebat, acuto spectandi modo, intento corporis habitu similis tigri saltum daturus et irrupturus.

Summam gloriam Michail Tal anno 1960° assecutus est: A die 15° mensis Martii ad diem 7° mensis Maii Moscuae in theatro nomine 'Puschkin' in certamine de campionatu mundano Michailem Botwinnik vicit et ita 24 annos natus victor certatio-

nis mundanae natu minimus historiae scaciludii factus est. Anno proximo autem in certamine satisfactionis a Botwinnik victus est. Unum solum annum ergo Michaili Tal summum honorem obtinere contigit.

Annis sequentibus pluries manus ad coronam summam extendebat, ultimum anno 1985°, cum in certamine candidatorum in urbe Gallica Monte Pessulano (Montpellier) exhibito post certamen additionale anceps denique tantum ex ordine secundariae gradationis ab Holandensi Jan Timman victus est.

Michail Tal, quamquam valetudinis instabilis erat, numquam sibi vel corpori suo pepercit. Alcohol et nicotinum, quae partes suae vitae erant non aliter ac scaciludium, plus amabat quam salubre ei erat. Vere anni 1989¹ Cannae in Gallia (Cannes) certamen ante tempus subito dimittere coactus est et post operationem medicam Moscuae summo in discrimine vitae fuit.

Vim vitalem eius se ad finem vertere apparuit, cum in ultimo certatione, cui interfuit, mense Maio anni 1992¹ Barcinone (Barcelona) commisso omnibus adversariis brevi tempore puncta aequabiliter digere (remis) obtulit. Sed cum iuvenis Armenius Wladimir Akopjan hanc oblationem recusaret, ultimum vis pugnandi Michailis Tal floruit et velut olim optima eius aetate ex hoc luso, qui ultimus eius vitae fuit, excellentissimo modo victor discessit. Sic homines scaciludium amantes Michailem Tal, 'Magum Rigensem, memoria tenebunt: Magnificum et magnanimum equitem nobilem ludi 64 casarum.

Daniel Weissmann



DE VALETUDINE FABULA

Diderot, praeclarus scriptor Francogallicus saeculi duodevicesimi p. Chr. n. fabulam de vi itinerum narrat: Quidam vir Britannus dives et valetudinem maxime curans medicum magni animi adit. Medicus autem: "Te adiuvere nequeo et vir aptus ad te adiuvandam longe abest." Vir aeger: "Ubi est?"

Medicus: "Est Moscuae." Vir aeger statim Moscuam proficiscitur, sed epistula medici praenuntiatur. Vir Britannus, cum Moscuam advenisset, certior factus est medicum petitem Romam iter fecisse. Vir Britannus statim Romam se contulit. Ibi certior factus est medicum Lutetiam profectum esse... Vir aeger celeriter Lutetiam petit, postea medicum Vindobonae persequitur. Medicus autem Vindobonam iam reliquerat. Postremo vir iterum Londinium advenit. Valetudine bona autem erat. Medicus optimus enim is est, quem semper persequeris, sed nusquam invenis.

Barbara Maier



DE DUABUS VULPIBUS

Vulpes duae noctu in gallinarium dolo intrant. Suffocant gallum gallinasque. Vulpes iunior praedam omnem vorare cupit. Vulpes senior victus conservare vult. Vulpes senior: "Utinam ne omnes res uno die edamus. Divitias captas dissipari non licet." Vulpes iunior: "Omnia hac ipsa hora edere cupio, nam dominus villae ad gallinas ulciscendas nos ad gallinarium redientes necabit." His verbis dictis vulpes iunior partem suam praedae vorat, tum autem aegerrime ad cuniculum pervenit et paulo post e vita decedit. Vulpes senior se sapienterem putans postero die ad praedam revenit et a domino gallinarii necatur. (Secundum Fenelonis fabulam).

Barbara Maier



DE APE ET MUSCA FABULA

Ille poeta Francogallicus nomine Fénelon multas fabulas edidit. Vobis narratura sum fabulam de ape et musca scriptam.

Aliquando apis quaedam animi gloriosi: "Nihil", inquit, "sapientius est nobis. Nobis solis leges et civitas bene morata sunt. Flores odoros pascimur et mel iucundum nectar aequans facimus. Discede a me, musca turpis et molesta!"

Musca autem: "Vivimus", inquit, "modo nostro. Paupertas vitium non est. Ira autem est magnum vitium. Vos mel dulce facitis, sed cor vestrum pessimum est. Vos sapientes estis legibus, sed violentae moribus. Ira vestra, qua inimicos mordetis, vobis mortem dat."

Barbara Maier



DE LUPO ET OVE FABULA

Oves in ovili vitam securam agunt. Canes dormiunt et pastor sub fago alta tibia canit. Lupus quidam fame motus ovili appropinquat et per rimas saepis gregem conspicit. Ovis quaedam animi imperiti: "Quid apud nos quaeris?" Lupus gulosus: "Herbas", inquit, "teneras atque floridas quaero. Nihil enim dulcius est prato floribus variis ornato. Hoc loco famem sedare possum. Hic quoque licet sitim rivo limpido depellere. Philosophus enim sum et philosophia docet nos, ut paucis rebus contenti simus." Ovis imperita magna admiratione affecta: "Verumne est", inquit, "vos carnem bestiarum repudiare?" Lupus: "Verum est." Tum ovis: "Vivamus igitur modo fratrum", inquit, " et pascamur simul." Quibus verbis dictis ovis ovili exit et pratum petit. Lupus philosophus autem eam lacerat et devorat. (Secundum fabulam a poeta Fénelon narratam).

Barbara Maier

FOLIA AUTUMNALIA

Folia cadunt
sed quo vadunt
motu blando
volitando?
Cadunt folia
tam mollia,
pauca pauca patientia
matris gremium petentia.
O quam bella
haec fabella
noctis dulcis
his in sulcis!
Velut iste auri cinis
vitae meae fiat finis.

Iosephus Tusianus, Neo-Eboracensis



PORTER PLEASE - BAIULUM QUAERO

Hac aestate iuvenes sex litteris studentes quadam in statione ferriviaria urbis Londini officio baiulorum funguntur. Pretio constituto geruli sarcinas viatorum carris caeruleis imponunt. Postea homines, qui in itinere sunt, e taxiraeda usque ad crepidones et e traminibus ad depositorium sarcinarum aut ad cauponam stationariam comitantur. Est vero bonus nuntius viatoribus magno cum labore sarcinas per stationem ferentibus. Nam de curribus sarcinariis solum fando audiverant. Nunc autem viri, qui stationi huic praesunt, eo modo curationis sarcinarum per menses tres experiri in animo habent. Iam viatores auxilio eo valde delectantur. Et geruli non iam moribus priscis ex arbitrio viri cuiusdam nobili genere nati pendentes munusculo satisfiunt, sed mercede constituta.

Barbara Maier

DECIDIT STELLA MIRA... (Es fällt ein Stern herunter)

Decidit stella mira
ex alto caelo, io!
Id sidus est amoris,
quod cadere video.

Decidunt e malo, vere,
flores et folia,
petulantes veniunt aurae
et agunt ludibria.

In stagno canit olor,
nat ultro - citro dum,
et semper lenius canens
immergit in fluctus tum.

Tam quietum est, tam caecum!
Flos, folium defloruit,
diffugit crepitans stella,
cygni cantus conticuit.

IUVENIS AMAT PUELLAM... (Ein Jüngling liebt ein Mädchen...)

Iuvenis amat puellam,
quae alium elegit,
sed alius amat aliam
et uxorem delegit.

Puella nubit ira
primo cuivis viro tunc,
qui ei sese offert;
iuvenis iratus est nunc.

Est res vetustissima gesta,
sed semper contingitur,
et cui accidit vero,
cor ei confringitur.

Textus Germanicus: Henricus (Heinrich) Heine (1797-1856)
Versio Latina: AMICUS

CLEMENTIA ISAURA

(Fabula)

Fama est olim saeculo XIV^o Tolosae in praecipua australis Francogalliae provinciae urbe vixisse quandam puellam, nomine Clementiam, a nobili patre Alphonso Isauro principe natam. Et Clementia puellarum pulcherrima, et Isaurus pater virorum nobilissimus erat.

Plurimi iuvenes Clementiae amore capti erant; inter hos vero nullus eam sincerius amabat quam Lautricus quidam; qui eques magnis virtutibus sed parva re familiari praeditus erat. Itaque, ut Clementiae valde placebat propter virtutes illas, sic patri maxime displicebat propter inopiam istam. Quodam die, pater et filia in ponte, quo castelli fossa superabatur, soli stabant. Tum ille filiam amplexus: "Clementia", inquit, "de re iucunda te alloqui volo. Aperte mihi responde: Nonne tibi in mentem iam venit te nubilem esse?" - "Venit, mi pater optime!" - "Quae cum ita sint, gratum id tibi erit, quod nuntiaturus sum: Nam te uxorem nobili viro dara volo. Nonne hoc te iuvat?"

Puella, quippe quam pater iussisset aperte respondere, simpliciter confessa est se valde gaudere, si is vir Lautricus esset. Quod nomen audiens, pater iratus est: "Apage", inquit, "apage istum pauperem iuvenem filia mea indignum. Sed inter tot procos, qui te a me petebant, virum amplissima familia ortum et lautissimorum praediorum heredem tibi iam diu selegi..."

Puella ne exspectavit quidem dum proci selecti nomen audiret, sed genua ante patrem flexit et: "Me potius", inquit, "manu tua occide, pater, quam tale matrimonium adeam!"

Alphonsus pro ira toto vultu erubuit et magna voce clamavit hoc matrimonium filiae volenti nolenti esse adeundum.

Tum Clementia, quamvis valde timeret iracundum patrem, tanto amore flagrabat, ut eum ausa sit interpellare: "Nullum", inquit, "maritum alium volo, nisi Lautricum. Nam

ut meae vitae dominus es tu, sic cordis mei dominus Lautricus est."

Alphonsus, haec verba cum audiret, rabie quasi furens filiae sic minatus est: "Num mihi contradicere audes, impudens? Nisi amorem mutaveris, te in vincula coniciam et turri includam."

Clementia vero amorem mutare noluit; itaque ab aspero patre in vincula coniecta est et turri inclusa.

Lautricus, quotienscumque videbat Isaurum profectum esse per agros, sub turrim accurrebat et miseros singultus querelasque edebat: Sic columbus, si columbam in cavea venator inclusit, ad eam gemiscens sedet.

Clementia, cum amatoris vocem audiebat, per fenestellae cancellos eum sic consolabatur: "Mi ocelle, noli pro me maestus fieri; nam pro te istas poenas facile fero; praeterea pro certo habe, me tibi semper fidelem fore."

Quodam autem vespere, cum ambo amantes de malis suis eodem modo colloquerentur, in mentes eis venit melius esse agere quam gemere: Itaque Lautricus consilium cepit, ut ad Philippum Francogallorum regem proficisceretur et tantam virtutem ei exhiberet, ut carus regi fieret et gratiam eius sibi conciliaret. Antequam vero illuc abiret, Clementia ei flores dedit cum his verbis: "Hoc solum amoris mei monumentum habeo, quod tibi dem: En tibi silvestres rosas et violas humiles et flavas calthas: Quos flores sedulo serva et memento me basiola mea in eis impressisse et lacrimas meas in eos effudisse. Utinam Deus te tueatur et mox regali favore honoratus ita revenias, ut pater meus te repellere non iam possit!"

His dictis flores per fenestellam deiecit; quos Lautricus acceptos et ipse basiabat, cum ex improvise ecce Isaurus advenit. Itaque iuvenis quam citissime effugit, dum senex iratus eum frustra persequitur.

Lautricus iter ad Lutetiam Parisiorum iam instituerat, cum audiit bellum in australi provincia sua iteratum esse et Britannos moenia sua oppugnare. Itaque citato equo retrocessit, ut patriam suam defenderet; ubi autem primum e tumulo aciem prospicere potuit, Tolosanum devictos fugere et Britannos victores eos persequi vidit: Unus adhuc invictus repugnabat princeps Isaurus, quem tamen tot hostes aggrediebantur, ut moriturus esset. Lautricus auxilio seni cucurrit: Tunc hostes undique ruentes feriebat, repellebat,

devincebat, et amatae puellae patris corpus corpore suo protegebat; hostes, tali iuvenis virtute terrefacti, tandem effugerunt; at in proelio Lautricus graviter vulneratus erat, immo tam graviter, ut moribundus esset. Antequam vero moreretur, Isaurum sic allocutus est: "O aspere senex, me generum tuum fieri nolueras; at ego hanc unam poenam de te sumpsi, quod vitam tuam servavi: Atque hac condicione libenter morior. Hanc saltem precationem meam nunc exaudi, oro te et obsecro: Clementiam meam e carcere educ et eam beatiorem fac; eam praeterea mone, me eius fideliter meminisse usque ad extremum spiritum; hos flores, qui ad cor meum aruerunt et iam cruore meo manant, ei redde; quos labris moribundis ultimum nunc basio."

His dictis Lautricus animam efflavit. Tunc Isaurus valde commotus ad turrim properavit et filiam e vinculis exsolvit et ei singula rettulit. At Clementiam, cum ocellum suum mortuum esse audiit, vires defecerunt; eam famulae in lectulo deposuerunt semianimam.

Antequam vero moreretur, testamentum sollemniter dictavit, quo testamento iubebat ad amoris sui memoriam honorandam his tribus florum generibus quotannis donari amatorium poetam optimum quemque; atque pecuniam suam totam ad id destinavit, ut ei flores ex auro caelarentur.

Quae puella mandaverat, ea Tolosani per saecula pie executi sunt et etiamnunc exsequuntur: Violas aureas quotannis accipiunt poetae, qui optimi iudicati sunt a Tolosanis Academicis.

Quid nostra refert, quod docti homines explanaverunt hanc esse speciosam fabellam post duo saecula fictam? Quid nostra refert, quod iidem doctores arguerunt virginis violas membranaeque volumen tenentis statuam, in qua fabelae fautores Clementiae Isaurae memoriam veneramus, re vera signum esse incognitae puellae, cui sculptor saeculo XVI^o a Tolosano aedili iussus flores pergamenamque addidisset? Quid nostra refert, quod litteriones ponderosissimos libros conscripserunt, in quibus demonstraverunt Clementiam Isauram nusquam vixisse nisi in poetarum mentibus, sed Tolosanum certamen a quodam gravium septem virorum collegio institutum esse? Inquirant isti, si eos iuvat, incolorem historiae veritatem; nos poetica fabellae ornamenta praefe-

rimus; nos iuvat tristitia Clementiae amatorisque eius fata pie deplorare.... et speramus lectores a nobis non dissentire.

Genovefa Immé



De Bello Inter Civitates Gesto Americano

(Relationis pars tertia)

Annus 1862^{us}: Ancipiti Marte pugnatur

Anni 1862ⁱ vere ineunte copiae septentrionales in omnibus belli partibus iterum progredi conatae sunt: In parte occidentali, i.e. in valle Mississippi fluvii, meridiani haud magnas copias collocare potuerant. Inde fiebat, ut milites caerulei non vel vix prohiberi poterant, quominus progredierentur. Die 6^o mensis Aprilis anno 1862^o prope viculum, cui nomen Siloa (Shiloh), situm in civitate Tennessee ad ripam Mississippi proelium exarsit ferventissimum et letiferum: plus decem milia militum in utraque parte vel occisi vel vulnerati sunt, ut homines, qui antea bellum laeto corde salutaverant, maerore et horrore imbuerentur. Per biduum integrum Mars saevire non desivit, et clamores atrocissime vulneratorum longe lateque audiebantur. Quibus auxilium ferri vix poterat, quia medici tunc temporis vix habebant, quo dolores et laesuras lenirent. Membra laesa plerumque amputabantur hominibus tantum aqua usta nomine 'Whisky' torpentibus! Chlorophormum quidem notum erat, sed saepe medici militares non satis eius medicaminis secum gerebant. Imprimis in meridie propter custodiam navalem chlorophormum non iam exstabat.

Proelio Siloensi milites cani - i.e. confoederati -, quamvis strenuissime pugnavissent, non plane victi, sed fugati sunt. Duces autem septentrionalium erant Guilelmus (William) Tecumseh Sherman et Ulixes Simpson(ius) Grant, qui generales postea toto in orbe terrarum innotuerunt propter suum bellandi modum crudelissimum.

Iam audivimus meridianos non magnam habuisse potestatem navalem. Qua de causa 'Yanci' facile per Sinum Mexicanum atque Mississippium fluvium usque ad Novam Aureliam pervenerunt et hanc urbem magnam primo ab impetu expugnaverunt. Quod factum est mense Maio anno 1862°.

Attamen bellum non iam ad finem vergebat, cum in parte orientali septentrionales semper semperque victi sunt a meridianis numero multo minoribus, sed duces habentibus longe meliores.



Ulixes Simpson Grant



Guilelmus Tecumseh Sherman

Mense eodem Maio, quo Novam Aureliam esse captam audivimus, generalis Georgius (George) Brinton Mc Clellan septentrionalis cum centenis milibus hominum Ricmondiam expugnare conatus est. Qua in urbe meridianorum capitali tantummodo sexagena milia militum Roberto Eduardo Lee duce videbant, ne quid detrimenti capiat caput. Mc Clellan autem, cuius exploratores Lee generalem multo plures milites habere pro certo habebant, magis cunctabatur quam imperator ille Romanus, quem Cunctatorem appellaverant. Qua de causa tempus aptissimum praetermisit impetui faciendo. Nam cum

diutius dubitaret, utrum aggredereetur an non, alius confederatorum exercitus Thoma 'Muro Lapideo' Jackson duce, qui in valle Senandoae fluminis (Shenandoah) cum vicenis tantum milibus militum tres exercitus septentrionales devicerat et ex Virginia fugaverat, ante Ricmondiam apparuit et una cum capitis defensoribus Mc Clellan generalem coegit, ut fuga salutem peteret. Virginia tota fere tunc Yancis vacabat, Ricmondia tutior fuit quam bello ineunte.

Abraham autem Lincoln praeses tauro haud dissimiliter saevivit et "Impero", exclamavit, "ut milites mei statim rursus progrediantur!" Mense Quinctili (sive Iulio) apud Manassiam, quo loco confoederati anno integro ante magnam victoriam acceperunt, iterum pugnatum est. Neque hac vice caerulei vincere potuerunt, sed a militibus canis in septentrionem fugati sunt.

Tunc Robertus Eduardus Lee consilium audax cepit, ut ipse in regiones hostiles invaderet et magnis urbibus septentrionalibus velut Vasintonia, Baltimora (Baltimore), Novo Eboraco (New York) expugnatis Yancos ad pacem ineundam cogeret. Noluit regiones septentrionales in aeternum possidere, sed nil aliud voluit nisi pacem et libertatem meridianam nancisci.

Sic milites cani mense Septembri ineunte limitem inter Virginiam et Mariae Terram transierunt. Quae civitas vi tantummodo in unione retineri potuerat, sed multi eius incolae nunc militibus caeruleis absentibus "Vivat confederatio, vivat Robertus Eduardus Lee!" exclamaverunt.

Die autem 16° mensis Septembris uterque exercitus prope Sarpisburgum (Sharpsburg), quod oppidulum parvum Mariaeterense situm est ad Antietam fluvium, alter in alterum confligit. Yanci milites meridianos in oppidulo ipso esse rati per tres horas omnibus cannonibus Sarpisburgum telis igniferis obruerunt, ut postea nullum aedificium iam staret. Incolae plerique occisi vel graviter vulnerati sunt - incolae scilicet loci cuiusdam septentrionalis. Yanci ergo saevientes ne suis quidem pepercerant, meridiani autem oppidulo iam longe antea relicto ne unum quidem militem amiserant.

Pugna nunc horribilissima exarsit, qua per biduum ancipiti Marte pugnatum est, donec meridiani numero multo minores, ut redirent, decernerent.


Caerulei forsitan si vehementer insecuti essent, exercitum confoederatum plane devicissent. Mc Clellan autem generalis denuo tantopere cunctatus est, ut tempus optimum praetermitteret. Lee una cum militibus suis canis non impeditus usque ad regiones Virginienses se recipere potuit. Qua de causa maxime iratus Lincoln praeses "Satis superque!" exclamans Georgo Mc Clellan summum detraxit imperium et tradidit Ambrosio Burnside generali non magno ingenio praedito, sed parato ad impetum subito faciendum.

Qui Burnside cito imperavit, ut exercitus caeruleus - i.e. septentrionalis - in Virginiam invaderet. Lee autem et Jackson interea copias meridianas restauraverant et hostes exspectaverunt prope oppidulum Virginiense, cui nomen Fridericoburgum (Fredericksburg). Ibi mense Decembri anno 1862^o iterum pugna ingens exarsit: Primum Yanci cannonibus suis oppidulum plane deleverunt (Lee autem Sarpisburgi destructionis bene memor incolis, ut Fridericoburgum relinquere, suaserat), deinde conati sunt colles circum iacentes ascendere et confoederatos ibi bene latentes fugare. Qui vero bene muniti Yancos semper semperque prohibuerunt, ne progredierentur, et caedem atrocissimam inter Yancos ter vel quater impetum facientes commiserunt. Burnside ipse flevisse dicitur. Denique intellexit se suosque confoederatos fugare non posse et receptui cani iussit. Septem milia Yancorum hac pugna occisi sunt, sed supra Virginiam tamen vexillum confoederatum volitabat.

In terra Yancorum multi de clade apud Fridericoburgum accepta certiores facti bellum conficere et pacem inire studuerunt. Lincoln autem "Pax non erit", inquit, "priusquam rebelles in unionem redierunt!"

(Relationis pars quarta in proximo libello sequetur)

Martinus Meier



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.

(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZB

8050 Zürich

4/93

ECCE FASCICVLVS CENTESIMVS I

LIBVS OCTOBRIBVS
MCMXCIII



RVMOR VARIVS



TOMVS 16

FASC.100